

www.e-rara.ch

Theses medicas de peste

Bauhin, Hieronymus

Basileae, 1666

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18374>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

JUVANTE JEHOVA
THESES MEDICAS
DE

PESTE

CONSENSU ET AUTHORITY
AMPLISSIMI AC GRATIOSISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN NOTISSIMA
INCLYTA UNIVERSITATE PATRIA
DIRECTORE

VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO
D. D. HIERONYMO BAUHINO
THEOR. PROFESSORE CELEBERRIMO
FAUTORE OBSERVANDISSIMO

PUBLICAE PROPUGNANDAS
AD DIEM 4 APRILIS AN. MDCLXVI:
LOCO HORISQUE CONSUEVIS
EXPONIT

NICOLAUS COENIGER BASIL.
A. L. M.



BASILEÆ TYPIS JOH. JAC. DECKERI
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Catalog



VIRO
NOBILISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DN. HIERONYMO BAUHINO
MEDIC. DOCTORI CLARISSIMO
THEORIC. PROFESSORI CELEBERRIMO
FAUTORI AC PRÆCEPTORI SUO
OBSERVANDISSIMO

*Theses hæc Medicæ
In debita observantiæ ac gratitudinis
signum sacras esse voluit*

NICOLAUS Eglinger.

PRÆLOQUIUM.

PEstem, causa ignoratio, mirandis accenset: Eam his eximere frustraneum est molimen. Accedente quanquam longâ annorum serie, conspirante etiam multorum in unum labore, haud tamen certae ejus cognitionem, expectare licet. Excessit ea hæcenus humanam sortem, nec dubium nostrâ culpâ. Vitio nobis innato, progredieremur in intemperie ulterius. Novit is qui omnia, quàm non reverenter scientiâ sciremus uti. Paucis explico, notâ verâ causâ, perspectis indubiis remediis, riderent, proni in hæc homines, faciliè edomabile malum, nunc mirantur & stupent! Sed videor mihi met ipsi hostis esse, si causâ, si præsidiorum notitiâ, meritò nos latet, quid juvat rimari? Dico finem esse alium & quidem bonum, ut nimirum utamur mediis cum gratiarum actione & confidentiâ in Deo, supremo Medico. Hæc verò sunt extra territorium, accedo ad nostrum propius.

T H E S I S I.

Merbis Medicus non curat, verba tamen curat, Præceptoris III. de simpl. med. facult. memor effati: Ἡ τῶν ὀνομάτων χρήσις παραχθείσα, καὶ τῶν Περγυμάτων ἰσχυροῦς πρὸς γνῶσιν. De peste id ne mihi contingat, percurram Ετυμολογίαν, Ὀμωνυμίαν & Συνωνυμίαν.

II. Longè nimis petita est, pestis à pascendo & perimendo derivatio. Dicant pro se Germani, Romanos è nostrâ linguâ nomen mutuatos esse, quasi dicerent: das best/oder bößt.

III. In genere pestis audit, quicquid perniciosum est. Sic Tyrannus, pestis Reipublicæ, Hæreticus, Ecclesiæ, dicitur. Λοιμικὴ κατὰ πρῶτον, pestem Hipp. vocavit, III. Epid. Symptomata pestis, Bubones, Carbones, Pustulæ, vulgò etiam pestis nomine veniunt.

IV. In specie verò & propriè pestem, vel pestilentiam, pestilitatem *Lucretii*, Pestilentiam *Festi Pompeji*, pestilentiam *Scaligeri*, Morbum Arsenicalem *Chymicorum*, λοιμὸν *Græcorum*, describo, quòd sit:

V. Morbus epidemicus, maximè perniciosus ac contagiosus, à malignâ & peculiariter cordi infestâ causâ ortus.

VI. Dico morbum esse, cùm videam tot actiones eâ lædi. Febrim ut plurimum sociari, certum est, necessariò tamen, ac ita ut de essentiâ pestis sit, non puto. Vocavi epidemicum, suâ enim naturâ aptus natus est plures invadere, ob causam omnibus communem, quæ si simul vernacula alicui regioni dari posset, huic pestis endemia foret. Maximè perniciosus est, respectu aliorum morborum; quia plures cum periculo invadit. Contagiosus, ubi namque ab uno in alium transit infectio, contagium admittendum est. Sufficit verò, ut morbus contagiosus dicatur, si actu primo talis sit.

VII. Partes quomodocunq; affectas, supervacaneum est nominare, laborat totum corpus. Primariò autem cor, cujus actiones hîc manifestissimè læduntur, patitur intemperiem occultam. In cujus causam jam jam inquiremus.

VIII. Est ea supernaturalis, moralis, naturalis. Moralis, sunt enormia nostra, quibus Deum irritamus, peccata. De supernaturali magnus inter Gentiles, Judæos, & Christianos consensus est, in supplicium nostrum ab iratâ Dei manu immitti. Filiâ Chrysis vitiatâ, *Homerus* scribit, Apollinem peste in Græcos sæviisse. Exempla alia habent *Livius*, *Plinius* &c. Sacra pagina id abundè confirmat. *Nump. c. XVI. II. Reg. XXIV, Habac. III. &c.*

IX. Immittitur itaque pestilens labes à Deo, in loca determinata, sed quomodo, an immediatè? an intercedente re quâpiam naturali, quæ vera pestis causa sit? Controvertitur. Arridet prior sententia *Cl. D. Diemerbroock de peste lib. I. c. VIII.* ob varias, quas ibi proponit, rationes. Posteriolem, cum plurimis Medicis, assumo ego, quòd Dei concursus non neget, præsidia verò medica faciliùs admittat: Nimirum soler Deus per media, & quidem naturalia, hodiè operari.

X. Naturalis causa pestis forinsecus nobis advenit, quæ, si corpus ingressa, vires suas exerit, causa sit proxima, etiam continentis meretur nomen. In quo autem ejus natura consistat in specie.

in specie ignoramus. Effectus pestis similes se produnt iis, qui ab arsenico, napello, aconito &c. procedunt, Essentia tamen ejus sacro involucrio tecta manet.

XI. Putredo enim, etiam excellentissima, rem non expedit, cum gradus hujus putredinis æquè ignotus sit. Adde putredinem nec omni pesti, nec soli, nec semper adesse, curam pestis à curâ putredinis esse aliam, tempus ad inducendam putredinem breve nimis plerumque dari, calorem percipi nullum.

XII. Si Kircherio *multifacio* crederent Medici, Pestis fieret à vermiculorum minutissimorum congerie innumerâ: iis enim sanguinis massam ac totum corpus scatere, eos exspirari & ab aliis inspiratos pestem propagare, hæc armato crystallinis artificis oculo patere, hinc in curâ ignes luculentos & acida omnia, mirum quantum, prodesse scribit in *Scrutin. pestis* passim. Ast I. pestifera hæc factura, fatente Kircherio, præsupponit putredinem tanquam causam, non ergò, si in aliquibus conspicua fuit, propterea in omnibus erit. II. Inde potius effectus pestilentis putredinis, quàm prima pestis causa appellabitur. III. Positis iis, necdum tamen ignoræ hætenus malignitatis densissimam caliginem discutiemus; quâ enim vi infecta hæc pestem inducunt? quæ est ea manifesta qualitas? Cur non id alii vermiculi è putredine oriundi æquè præstant? Cur non ii, quos in sanguine febricitantium reperiri dicunt?

XIII. Antecedentem causam liceat mihi vocare, humorum ac corporis *Παθησιότητα*, occultam aut manifestam. Illa est veneno similis quædam corruptio. Hæc in humoribus est Cachoymia & Plethora, in corpore ipso Caliditas, Humiditas, Laxitas, Obstructio: Talia namque corpora & ad putredinem magis sunt disposita, & nimis inspirant, vel facilius recipiunt venenata *μιάσματα*, vel recepta transpirare non sinunt.

XIV. Externæ causæ sunt vel verè efficientes, vel *Προφάσεις*, tantum. Illæ ingruunt vel absque contagio, vel cum eo, ac ad duas classes, assumptorum, ad motorum reduci possunt. Absque contagio, dixi; Primus enim, qui pestem contraxit, non per contagium contraxit, sic ad sint licet *μιάσματα* pestifera, abest tamen contagium, quàm diu ab infecto corpore non excernuntur *νοσθαί ποικίσεις*.

XV. Per assumpta ac admota intelligo, aërem, victum. In aëre pestilens venenum vel nascitur, vel aliunde ei communicatur. Nascitur in aëre, vi influentiarum cœlestium; Secundum Astrologos ex conjunctione & sinistro aspectu ♄ ac ♀, maxime si ☿ malignè eos aspiciat, aut per Eclipsin infortunata sit, quòd tum debitus ☉ lis influxus, vel terræ, vel Lunæ globo, denegetur, aut saltem non adveniat conveniens. Credat quilibet pro lubitu, ego experienciâ destitutus ἐπέχω. Nascitur verò præterea in aëre venenum pestilens, dum immixta aëri jam à longo varia corpuscula, quâcunque demum de causâ, ut ventilatio-
nis defectu, corrumpuntur: quale quid in Babylonîæ quâdam arcâ, & in Seleuciæ urnâ aliquâ contigisse, referunt *Jul. Capitol.*
& *Marcellinus.*

XVI. Aliunde aëri communicantur per ἀναθυμιάσεις, ut à terrâ & quæ in eâ sunt, ab aquâ & quæ in eâ sunt. Adderet *Cel. D. Bartholinus* Cœlum; Cometæ enim in æthereâ regione existentes, rupto abscessu (hæcejus de Cometâ est mens) malignam materiam in nostrum maxime orbem exspuere, opinatur, *tract. de Cometâ.* Occulta nobis sunt hæc semina, fugiuntque humanos sensus. Excipi tamen vult *Paracelsus*, cum paucis discipulis, quibus formam quoque pestis, ex visis hujusmodi in Borussia & alibi recrementis, prædixisse, fabulantur sui.

XVII. A' terrâ verò exsurgunt non rarò & è specubus cryptisvé subterraneis, sic mineralia venenata, cloacæ, sepulcra, cadavera omnium ferè animalium non sepulta, venenatam mephitim exhalant.

XVIII. Ex aquâ stagnante putridâ, cui semen cannabis injectum, *Galeno* inquinatur aër. Vitium capiunt nî moveantur aquæ, A' piscibus quoque apud *Plutarch. l. de indust. anim.* & *Forest. l. VI. obs. IX. in schol.*

XIX. Victum vitiosum morbos inferre certum. Valet proverbium apud me, μὲν λιμὸς ὁ λοιμὸς, post famem pestis. Consentit *Gal. comm. II. in Hipp. de nat. hum. Jul. Cesar. l. II. comm. de bell. Gall. Fl. Joseph. de bell. Judaic.* & plures alii experienciâ edocti. Consentit ratio, qui namque similem observant victûs rationem, quid nî similes incurrant morbos?

XX. Plerumque autem per contagium ingruit pestis.
Quid

Quid sit contagium, *th. VI.* explicat, explicandum hic, quomodo pestis causa fiat. Pars veneni pestilentis, tanquam causa morbifica, ab infecto corpore, per respirationem, transpirationem, aliasque vacuationes excluditur, & quomodocunque alteri corpori apto communicatum, morbum, i. e. effectum suum generat, cui simul vim imprimit eandem causam multiplicandi, ut sic propagari possit morbus.

XXI. Communicatur verò sperma pestiferum disposito corpori, mediatè aut immediatè. Dico sperma pestiferum: non enim sufficit putridus halitus, quamvis hic plerumque *μείσματος* jungatur. Dixi, communicatur corpori disposito: necesse namque est, ut corpus communicans & recipiens inter se habeant analogiam, hinc nec omnes, nec omnes eodem tempore peste corripuntur. Dixi, mediatè vel immediatè. Immediatè, cum corpora se contingunt. Mediatè rursus vel per fomitem, vel ut vocant, addistans.

XXII. Fomitis rationem sustinet, quicquid seminaria subtilia, viscida interim retinere potest, ut sunt omnia linea, lanea, pellicea; plumæ, gossypium, pili, oleum, lingua foraminosa, parietes, muri, & quæ alia recensentur *Levit. c. XIII. XIV.* In genere omnia rara. Excluduntur itaque duriora, ut metallica, lapides duriores; intensè etiam calida ac frigida, frigore enim emoritur ejus vis, calore consumitur. Insuper seminia hæc insufficienti quantitate adesse debent. Dicti fomites, unus tamen alio magis, corpuscula ea diu retinere possunt, ac plurimis rebus animatis, inanimatis communicare; hinc fit, ut homo sæpe longum tempus (quod tamen non determino) inquinamentis & secum ferat & aliis impertiatur.

XXIII. Ad distans communicari volunt per aërem: parum tamen refert, si quis & hunc modum sub fomite complectatur, quatenus suâ raritate aër effluvia morbida, viscida, recipit, retinet, corporibus imprimit.

XXIV. Ad contagium refero eam pestem, quæ vulgò veneficiis attribuitur. Credo enim Dæmonis ope per pulveres, unguenta, aut similia ex rebus venenatis & infectis parata, corporique quocunque modo applicata, pestem, si id Deus permittat, excitari posse. Ita notum est exemplum apud *Livium. D. I.*

¶ VIII. alia sunt apud rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Ne-
fandum est Mediolanense Anno hujus seculi XXX. factum,
cujus origo, ut acta docent, à maleficis hominibus processit.

XXV. Προφάσεις, vel commoventes & Procatarticae cau-
sæ sunt; Ambientia, Excreta, Retenta ac Gerenda. Ambientia,
ut aër calidus, humidus, putridus, austrina ejus constitutio;
Enervantur enim his corpora, ut facilius venenum admittant
& difficilius resistant. Aër frigidus per accidens fit causa pestis,
quatenus concludendo poros, & ἀδυναμία inducendo, ve-
neno exitum denegat. Siccus vires ejus intendit. Exempla pe-
stis à siccitate ortæ, describit Liv. l. I. D. IV. & Niceph. Callixt. l. XV.
adde nebulas, aliosque fœtores.

XXVI. Quod ad cibum & potum: Inediâ natura enerva-
tur, ingurgitatione nimia gravatur. Idem faciunt vigiliæ ni-
miæ, somnus nimius. Immodico motu respiratio augetur: De-
fectus exercitii contractâ jam labe noxius: Debilitant naturam
vacuationes immodicæ; ordinariæ prætermissæ gravant, &
sedem lûi commodiorem adornant. Metus, terror ac imagina-
tio quid possint, experientia sæpius docuit: pavidî namque fa-
cilimè corripuntur, audaces, imperterriti plerumque mediis in-
undis salvi permanent. Nimirum delitescens in corpore virus,
terrore ac imaginatione in actum concitatur, aut facilius, con-
fusione humorum obortâ, in corpus admittitur.

XXVII. Differentiæ pestis sumuntur à causâ, adjunctis ac
effectis. A' causâ, alia mitior est, vehemens alia, alia vehemen-
tissima. In hac vix centesimus evadit, in secundâ è centum
fortè decem, vel & plures, in primâ adhuc plures. Si ex histo-
riis calamitosos olim inclytæ Urbi nostræ status cognoscamus,
apparebit forsan, omnibus tribus modis justum Deum in nos
animadvertisse. Memorat pestem ad annum M LXXXIX.
celebris nostrorum annalium scriptor, D. Ursifius, in quâ multa
loca ad ultimum exitium laborârunt. Refert idem ad annum
M CCC XIV. 14.000. Basileæ periisse; totidè An. M CCC XLIX.
quo ferè anno & præcedente, pestis per totum orbem sæviit, ac
in solâ Florentiâ 100000. hominum extinxit. An. M CCC
XXXIX. durante Concilio, peste in vigore existente, quovis
die 100. homines lûis crudelitate ablati. An. M D II. ad 5000.
An. MD XLIII.

An. MD XLIII. pauciores. An. MD LXIV. ad 7000. ceciderunt.
An. MDC X. ad 4000. An. MDC XXIX. 2072. pauciores adhuc
An. MDC XXXIV.

XXVIII. Pests quoq; alia est supernaturalis, naturalis alia; illa extraordinarie à Deo immittitur, ut tempore Davidis factum.

XXIX. Ab adjunctis alia cum febre est, alia sine eâ, prout pugna inter vires & venenû est major vel minor, si suffocatur mox calor cordis à veneno, vel si venenum statim expellitur, abest febris; sin vincat venenum, debilitatur calor, nec regere potest humores, inde febres; quæ semper sunt putridæ continuæ, mox simplices, duplices, vagæ, prout ab uno, duobus aut confusis humoribus putrescentibus ortum ducunt.

XXX. A symptomatis alia est cum bubonibus, anthracibus, maculis, anxietate cordis &c. alia sine his, quæ nulla malignitatis prodit indicia. Causa autem variorum symptomatum, quærenda est in corporum & pestilentium inquinamentorum diversitate. Plerumque affectus, qui pesti junguntur, sunt excrementorum vitia.

XXXI. Quantum ad signa: Sunt ea Diagnostica, Prognostica, Anamnistica. Ad diagnostica pertinent imminentis & præsentis pestis signa. Præcedunt pestem in genere, ea quæ supra inter causas recensita sunt, & morbi epidemici, variolæ, morbilli, pleuritides, anginae &c. Mulierum frequentes abortus. Pueri in lufibus suis mortuorum sepulturam agentes.

XXXII. Præterea si desuper nobis immittatur, antecedunt prodigiosarum rerum pluviae, ut sanguinis, lactis &c. plurima nocturna fulgura, stellæ cadentes, funera in aëre depicta. Si ab aëre procedat, volucres & nidos & pullos deserunt, sibi que salubriorem locum quærunt. Carnes, ova & cæteræ res, solito citius putrescunt. Panis nocturno aëri expositus mucescit, & in rore, matutino tempore collecto, maceratus, mortē devoranti inferre dicitur. Si ab aquâ, tum stagnorum aquæ ad littora virore quendam concipiunt ac foetorem, moriuntur pisces & supino corpore natant. Si à terrâ, incredibilis est insectorum copia, serpentum, bufonum, cicadarum, locustarum, aranearum, scarabeorum, crabronum &c. Terra erit sterilis, vel saltem fructus, quos producet, insipidi, animalia subterranea suas cavernas deserent, Gallinæ, oves, boves, &c. passim peribunt.

XXXIII. Bubones, Corvi, supra civitatem crebrius volitantes, signum mihi nullum præbent. Imò omnia dicta talia non sunt, è quibus indubitato liceat concludere. *Thucid. l. II.* nullos ferè morbos Atheniensium pestem præcessisse refert.

XXXIV. Præfens jam pestis inter initia cognitu est difficilis: Nescimus enim morbum esse epidemium, contagiosum & maximè perniciosum, antequam plures invaserit. Perpendenda tamen sunt, signa antecedentia, concomitantia, (quò refero contagium in vicinis locis) & subsequencia, ut sic uno tempore detegi simul ac extingui possit.

XXXV. Habet verò pestis socios penè omnes morbos, ac symptomata: Febres varias; dolorem capitis, ob partem veneni, cerebri membranis, comunicatam; deliria, vigilias, ob cerebrum nimis calidum & exagitatos spiritus, ut semper in organa influant; jactationes corporis, ob anxietatem; convulsivos subsultus, cum venenum irritatione nervis molestiam creat; memoriæ abolitionem, ubi humidum nimis cerebrum repperit; palitationem cordis, dum cor, quod sibi noxium est, propellere nititur, corde verò in his angustiiis posito, oritur anxietas, debilitas; Repentinam syncopen, quando venenum cor subito petens, ejus spiritus dissipat vel concentrat, si occulto modo venenū pugnet, manet pulsus naturali ferè similis; dyspnœam humore in respirationis organa influxo; Cardialgiam, affecto, nervoso stomachi orificio, *Ἀνοπεξίαν*, cum tractio non percipitur ob pituitosos humores ventriculū obsidentes; Sitim auctam & linguam siccam, ob calorem febrilem; Singultum, vomitum, quando intra tunicas, aut capacitatem ventriculi abivit humor; Alvi fluxum, ubi venenum, cum aliorum humorum saburrâ, in infimo ventre naturam ad excretionem stimulat; Urinam sanorum similem, si humores necdum attigit venenum, turbidam si jam læsit, flammeam si calor urgeat; Fœtorem anhelitus, putrescentibus humoribus; Bubones ad aures, alas, inguina, veneno à partibus principibus ad vicina emunctoria propulso; Carbunculos, si ad alias debiliores partes pertingens venenum, septicâ suâ vi eas mortificat; Exanthemata, extinctis & è vasis exclusis sanguinis particulis. Neque verò omnia hæc simul adsunt, sed in hoc alia, alia in illo.

XXXVI. Medicus si defunctum invisit & præcedentia signa,

gna, maximè maculas, anthraces, bubones, novit adfuisse, aut adesse, peste mortuum pronuntiabit.

XXXVII. Accedo ad Prognosin. In genere pestis citò sua tempota absolvit, quartum decimum diem rarò transgreditur; Multi *νυχθημέρη* spacio, veneni efficacità victi, decedunt. Est verò plerumque lethalis, nisi valida natura citò propellat hostem & arte juvetur.

XXXVIII. In specie magna virium prostratio, in morbi initio, crebra animi deliquia, cordisquæ palpitationes, ut plurimum mortis nuncii. Pulsus omnes sunt fallaces, intermittens tamen in juvenibus *παναϊώδες*, est *Galeno*. Si ægrum sternutationes crebræ & delirium convulsivis motibus junctum habeat, desperatus est. Pleuritides, anhelitus valdè foetentes, plurimis infelices. Singultum semper mors sequitur. Lingua in principio morbi nigrescens, malum, humida verò & naturalis coloris apparens, bonum est indicium. Omnis de naribus stilla pravum signum. Dolor in gutture, qui sine ullo tumore, sine aphtis, orisque siccitate, aliave manifestâ causâ adest, ut & raucedo, imminens exitium certò prænunciant.

XXXIX. Tumores in emunctoriis laudabiles sunt, & quo citius prodeunt, tantò meliores. Si sine febre, aut ante febrem prodeunt, citæ salutis magnam dant spem; contra si post febrem maximè majorem. Bonum est, si ab initio sint duri, rigidi, longi & paulatim increpant, ut & si citò ad suppurationem perveniant.

XL. Anthraces in principio aut paulò post in locis carnosissimis sunt laudabiles, at in pedum & manuum digitis pessimi. Carbunculus, si intra duos aut tres dies, circulo rubeo comprehendatur, faciliùs sanatur, si serpat latius, præprimis in nervosâ parte, funestû. Qui subitò disparent manentibus symptomatibus, *πανασμοι*, damnatur namque omnis humorum *παλινδρομή*.

XLI. De maculis & exanthematis quovis etiam modo coloratis, controversia est. Si criticè materia hûc ejiciatur, procul dubio salutare erunt, contra si symptomaticè. Respiciendum ergò ad symptomata, an minuantur? an vires redeant? Imò nec his nimium fidendum, cum hostis opinione celerius vires resumat, naturamquæ opprimat. Oraculum est, quod in peste vel

maximè locū habet: Τῶν ὀξέων νοσημάτων ἐ πάμπαν ἀσφελέες
αἱ περὶ διαγορεύσεις, ἔτε θανάτου, ἔτε τῆς υγείης. II. aph. XIX.

XLII. Corpora pesti magis obnoxia sunt Plethorica atque
Cacochymica, Mulierum magis quam Virorum. Difficilius ii
quoque, qui jam semel peste laborarunt, in eandem recidunt.

XLIII. His ita de Naturâ, Causis, differentiis, & signis di-
ctis, proximum est de Remediis agam, quæ sunt περὶ φυλακτικὰ
& θεραπευτικὰ, illa præcedunt, hæc sequuntur. Præservabimus
autem si causam agentem removeamus, ac corpora recipientia
muniamus.

XLIV. Causa in superioribus divisa fuit in supernatura-
lem, moralem, naturalem. Quod ad primam & secundam: Pec-
cata coram Deo agnoscenda, vita seriò emendanda, iratus Deus
devotis precibus placandus. Diabolus suæque mancipia, non ali-
ter curare possunt pestem, quàm inferre: Artes verò diabolicas
ad inferorum domicilia alegantur.

XLV. Quod ad tertiam: Non sufficit Medicum παρέχειν
τὰ δεινὰ, πεινῶντα. Prospiciat insuper toti civitati Magistratus,
propriæque familiæ privatorum quilibet.

XLVI. Magistratus curet, ne ex suspectis locis venientia
admittantur, sive merces, sive homines sint, modò fomitem re-
cipere non recusent. Dein, ut viæ publicæ diligenter ab omnibus
sordibus mudentur; Aquæ nullæ inficiantur; Animalia quæ
in pelle suâ fomitem conservare & propagare solent, tollantur;
Sani cum infectis promiscuè non converſentur; Cadavera intra
biduum sepeliantur; Quæ morbosa, corrupta, putria sunt, ne
vendantur; Conventus publici majores inhiſcantur, aut si hi ne-
cessarii sint, ii saltem arceantur, qui vel recens infecti fuere, vel
infecta loca frequentant. Eligat insuper probos homines, qui
ægrorum pestiferorum curæ sedulò incumbant, & quæ forsitan
sunt alia. Privati in suis ædibus id fieri curabunt, quod Magi-
stratus in totâ Civitate.

XLVII. Maximum præservativum est: Ἡ τῶν χωρίων
μετέβολη, transeundum εἰς τὰ πρὸς ἄνω, i. e. in aërem conve-
nientem. Notus est versiculus:

Hæc tria tabificam tollent adverbia pestem

Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Itaque

Itaque modò ne officium negligatur, non minus pestis contagium, quàm gladius aut ignis vitari potest.

XLVIII. Medicus causam agentem removebit, corporaque recipientia muniet, si è tribus fontibus suis Pharmaceutico, Chirurgico, Diæterico, præsidia quærat.

XLIX. In Diætâ præcedit aër. Hic, si impurus sit, corrigendus, & noxius excludendus. Hinc fenestræ, quæ occasum, austrum, vel cloacas respiciunt, semper claudendæ, aperiendæ reliquæ. Aër ipse luculentis ignibus, ex lignis juniperinis, quercinis, &c. corrigendus, quibus jam olim Hipp. pestem, quæ ex Æthiopîâ Græcos invaserat, edomavit. Siaëris & corporis calor contraindicant, aceto cubicula conspergantur, aut foliis Salicis, rofar. nymph. viol. &c. Suffitus quoque fieri potest ex suavis, styrac. benzoin; Vel ex minus suaviter olentibus, ut Bacc. junip. Thure, Sulphure (quod tamen in anhelosis, tanquam noxium, omittendum, idem dico de aceto & Belzoin solo) myrrhâ, &c. quibus cum pice, gumm. tragac. aut aliis mucilaginis mistis, formari possunt trochisci ad suffumigium. Multi quoq; ad aëris flabellationem, aviculas in cubiculis alunt. Multi hircum, quasi attraheret ac extingueret *νοσερὰ μιάσματα*.

L. Cibus & potus in quantitate sit mediocris, nil enim magis corpus tuetur à morbis, quàm si sit excrementis vacuû & *ὑγιεινόν*. In qualitate cibus sit *ἁρμόδιος καὶ ἐπιτηδεύσιμος*. condiendi autem sunt cibi, iis quæ cor roborant & putredini resistunt, ut cappar. berber. uvis immat. acetos. cinam. malis citr. aurant. &c. Vitentur contrarii & fructus horæi exceptis acidis, plurimi, legumina, omnia dulcia valdè & infecta. Concedi potest vinum tenue, imprimis si succ. citr. aut granat. acid. mistus sit. Nocet cerevisia crassa. Pro temperamenti verò diversitate & consuetudine victus quoque mutandus.

LI. Nocent immoderata exercitia, maximè non assuetis, nimis enim calefactum corpus, auctâ respiratione plura attrahit *μιάσματα*, adde quod spiritibus dissipatis facillè venenum, cor impugnare valeat. Moderatum verò exercitium, *διαφόρησιν* promovendo, conducit. Balnea in universum nocent.

LII. Idem est de nimîâ Venere. Cæterùm si subsistant consuetæ vacuationes, moderatè provocentur. Servetur modus in

somno & vigiliis, nocet somnus meridianus, non tamen post longas vigiliis & in assuetis.

LIII. Vitentur præprimis terror, ira, metus, quantum enim hæc valeant ex superioribus liquet; viceversâ gaudium, hilaritas moderata multum profunt. Musica hîc locum invenit. Παι- των μέτερον αἰετον.

LIV. Chirurgia suppeditat Venæsectionem & fonticulos. Prima, quid ad præservationem in non plethoricis prodesse possit non video, in plethoricis, quantum opus est, sanguis detrahi poterit. Fonticuli verò in brachiis & cruribus & quæ eorum vices gerunt, vacuant humores excrementitios, ut adeò durante etiam peste aperti servari debeant. Eos tanquam summum præservativum extollit *G. Fabric. Cent. IV. obs. XXIII. & LXXXVI.*

LV. Pharmacia vel expurgat noxios humores, vel præmunir corpora: illud fit per lenia tantum, non fortiora cathartica, quæ præterquam quòd sint ferè venenata, humores agitant, spiritus exhauriunt, ad pestem disponunt. In usu esse possunt pilulæ *Ruffi* emendatæ, in pestilentia adeò decantatæ, dosis sit scrupulus unus, aut drachmæ semissis, semel aut bis in hebdomada. Ex iisdem cum his constat simplicibus Elixir *Paracelsi*, quod proprietatis vocant. Pilularum loco exhiberi potest vinum absinthites, in quo Aloës & aliqua absinth. centaur. min. card. bened. &c. quantitas infusa fuerit.

LVI. Præmuniuntur corpora alexipharmacis, internis & externis, simplicibus, compositis. Ex illis usu probata sunt, Rad. Angel. Zedoar. Helen. Cort. citr. Limon. bacc. junip. acetum, præprimis Tabaci fumus per tubulum ore attractus commendatur.

LVII. Ex compositis sumpsit Mithridates

-- -- -- oriente die parco conspersa *Lyæo*

Bis denum ruthe folium, salis & breve granum

Juglandesq. duas, totidem cum corpore ficus.

Possunt ex simplicibus alexipharmacis facile composita concinnari, formâ pulverum, tabellarum, electuariorum, &c. Prostant in officinis Theriaca; Diascord. Fracast. Elect. de ovo. Confect. Alkerm. de hyacinth. &c. Quæ ex his nimium calida sunt, frigidis corrigentur, ut succo citr. limon. ribium &c.

LVIII. In-

L VIII. Inter externa valent ea, quæ cor roborant, petantur ergo ex cardiacis, & exulent ea, quæ ex arsenico, mercurio, bufone & similibus parantur noxia *πείραμα*. Fictitia alia, nullâ tamen nocendi facultate prædita, ægris obnixè postulantibus concedenda; cùm enim imaginatio imperet humoribus ac spiritibus, fieri potest, ut illius ratione *ἡ ἑρμὸν ἐμφύτων* excitetur, suâque sponte venenum expugnet.

L IX. Sic fuit præservatio, quæ quia (ut habet *Gal. de diff. febr. c. IV.*) & ipsa cura quædam est, in hac jam breviores erimus. Tollenda est causa continens, quâ sublatâ ipse morbus desinet. Vires conservandæ; Symptomata mitiganda sunt.

L X. Abstinentium à Venæsectione; vires enim agitatione imminutæ, insipienti perniciem minus resistunt, ait *Fern. l. 11. de abd. c. XII.* Vesicatoria in artubus & emunctoriis apposita, ad revulsionem multum faciunt. De fonticulis suprà dictum. Scarificationes improbo.

L XI. Nec purgatio, nec vomitio conveniunt, licet enim venenum pestilens, cùm coqui non possit, è corpore citissimè expurgandum sit, tamen id faciendum *ἀπὸ τῶν εὐμφορόντων χαλεπῶν*. Quoniam ergo venenum ipsum subtilissimum est, ac per inspirationem in corpus irrepsit, expellendū veniet *ἀναφορῆς*.

L XII. Sudorifera itaque, quæ materiam ab internis ad externas ignobiles partes movent, utramque absolverent paginam, si simul sint alexipharmaca. Ex his numero Rad. petasita Carlin. Herb. Scord. Ruth. card. bened. Scorzon. absinth. Fruct. berber. ribes. rubr. Poma citr. aurantia. Semina card. bened. citr. acetos. vinum, acetum, fantala tria; bolum armenium; Aquas ex plerisque destillatas, aquas & aceta Theriacalia, Salia, extracta, syrupos, conservas, &c. Lignum Sassafras etiam, sed quid de lapide Bezoar officinarum, quem adeò evehunt plurimi? Dico cum Incomparabili Viro Medico *D. Casp. Baubino de lapid. Bezoar. c. XV.* Ejus usum (de vero non loquor) non modò inutilem, sed etiam periculo sunt evadere. Similiter de unicornu pronunciantum est, substituatur Cornu cervi.

L XIII. Ex his verò in nimio calore frigidiora eligendâ, vel calida frigidis temperanda. In fœminis, quæ moschum & ambram redolent compositiones, omittendæ. In pueris minus calida,

lida, debiliora, gratiora exhibenda. Si vires ni miis sudoribus, prostrata fuerint, reficiantur Cardiacis.

LXIV. Quod ad diætam, aër emendetur ut suprà. Cibi sint liquidi, iis misceantur ea, quæ veneno & putredini, si febris adsit, resistunt, præprimis quæ dejectam *ὑπερ* excitant, qualia sunt *τὰ δέξωδη*. Fugiantur motus animi & corporis. Somnus ante promotum sudorem nullus, post modicus concedatur. Alvus nimium non sollicitanda, ante morbi declinationem.

LXV. Pestis symptomata restant, quorum magna quoque est habenda ratio. Sciendum autem, febres, bubones &c. licet in se morbi sint, hic symptomata vocari, quod horum more pestem insequantur.

LXVI. Quod ad febres: his ea conveniunt, quæ ipsi pesti, modò non nimis calefaciant. Vomitus cohibet Sal absinthii. Syncopen solvunt cardiacæ, maximè vinum generosum, aq. rosar. cinam. &c.

LXVII. Quamprimum bubones conspicui evadunt, natura in suo motu, attractione vitiosæ materiæ, iuvanda, inde vesicatorium proximè bubonem applicandum, locusque apertus servandus. Sic ipsi tumori attrahentia imponi poterunt, tumore verò existente jam satis magno, ad maturantia & suppurantia progrediendum. ut Rad. alh. lil. alb. malv. Fl. chamem. melil. Sem. fœnigr. lini. Ficus, &c. Hæc in catapl. unguent. &c. redigi poterunt. Maturefacti tumores, si ob cutis duritiem, tardius debito aperiantur, scalpello in declivi parte pertundendi. Sauciata parti multi, nullâ tamen necessitate inducti, gallinas, catulos, columbas, &c. per medium sectas & calentes. multoties ad veneni extractionem adhibent. Ulcus vel vulnus mundificandum, thereb. vitell. ovor. scord. &c. Tum more aliorum ulcerum, sed tardè est curandum, ne mali reliquæ recidivam, ac mortem inducant.

LXVIII. Carbunculus suppurantibus etiam, & illis quæ emortuam à sanâ particulâ separant, curantur. Hinc sola pix quæ insuper dolores lenit, sæpius multum præstitit. Citissimè rem conficit butyrum antimonii, quod describit *Dn. Schröder. pharm. med. Chym. l. III. c. XV.* Separato carbone ulcus mundandum ut suprà, tandemque cicatrix inducenda, cataplasm. v. g. ex Rad. Symphyt. major. Si verò carbunculus necdum satis esset magnus, humor noxius cataplasm. attrahente extrorsum foret proliciendus.

LXIX. Exanthemata plerumque non curantur. Curanda verò sunt per sudorifera & alexipharmaca.

LXX. Omnium autem symptomatum curam proponere, nec opus, nec instituti mei est. Legendi in hanc rem, qui accuratè scripserunt,

Practici. Ego in devotis ad Deum precibus, ut ne, vindicæ suæ dexterâ, terga nostra feriat, finio.

F I N I S.